





ELEGIA
SCRIPTA, DE ME-
RITO PASSIONIS DO-
MINI NOSTRI IESU
CHRISTI,

AB
HENRICO SCHEIB LI-
PSENSE.



Witeberga, Anno 1575.

MATTH: VV E S E N B:

*Accipite hæc animis confessus magne serenæ
Quæ facili vester fudit ab ore cliens.
Ingenuas artes studiosaq; pectora veri,
Gratia magnatum nobilitata fouet.
Prepete quo cursu à paruis ad grandia tendant,
Venturæ messis spem prior herba probat.*



RAE A 212

NOBILISSIMIS, VIRTUTE,
PIETATE, FIDE, EXCELLENTIA ANI-
MI, ET INGENII DOTIBVS PRÆSTAN-
TISSIMIS VIRIS D. IOANNI A PERN-
STEIN. D. DAMIANO A SEBOTENDORF.
D. LAURENTIO LINDEMANI. V. D.
D. DAVIDI PFEIFFER I. V. D. ILLV-
STRIS: ET INCLYTI ELECTORIS AV-
GVSTI &c. CONSILIARIIS PRÆCIPVIS,
DOMINIS, PATRONIS, ET PROMOTO-
RIBVS, DEBITA FIDE, ET REVE-
RENTIA COLENDISSIMIS.

S. P. D.



ANTA SVNT VESTRA IN
me, Nobiliss: Clarissimi, & præstan-
tissimi viri beneficia, vt digna mihi
vobis agendi gratias forma non oc-
currat. Ego enim Nob: & Mag:
vest: hætenus habui, quibus studia mea ita chara
esse expertus sum, ac si Nob: & Mag: vest: fuisset
filius. Nunc autem cum maximè cupiam aliquo
officij genere, testatiorem animum meum apud
Nob: & Mag: vest: relinquere, nihil fanè mihi in
mentem venit, quo possem id quod cupiam perficere
commodius, nisi illud vnum, quod Nob: &
Mag: vest: credo fore gratissimum, faciam, vt bene-

A ij ficia

ficia vestra, quibus respondere non possum, grata recordatione & memoria colam, omnesq; animi cogitationes eò directas habeam, vt indies longius incepto cursui debita fide & diligentia insistam, quò Nob: & Mag: vest: maiori cum voluptate mihi posthac adiumento esse, et velint et possint. Quod quidem si mihi detur, haudquaquam vereor, quin magna ex parte reponatur quod debeo, cum eo Nob: & Mag: vest: natus ingenio, & iudicio esse intelligam, vt ab ijs beneficium accepisse existimetis, quos insigni alioqui beneficio ornaueritis. Qua quidem opinione recreatus, non dubito quin carmen hoc, rudi minerua & stylo successiuis horis compositum, Nob: & Mag: vest: aliqua ex parte sit futurum acceptum, ac Nob: & Mag: vest: eo quo solent candore & sinceritate, æquos & beneuolos iudices se mihi exhibituros esse, omnino confido, dum Nob: & M. V. perpendant, omnium (iuxta mentem L 2. § si quid aut: vers: quia omn: C De vet: iu: enu: c cum adeo in gl. 1. De Conf: vt: vel inu:) habere solertem cognitionem & memoriam, in nulloq; penitus errare, esse potius diuinitatis quàm mortalitatis. Hoc igitur si me à Nob: & Mag: vest: impetrasse cognouero: læta fronte in vulgati & triti versiculi sermonem irruens: iam mea quæ voluit, littora puppis habet: alacriori animo & studio & officio meo incumbam, vt spes me pulcherrima foueat, laudabili progressu
facto

facto, posse etiam Rempub: aliquando in partibus
mihi credendis gubernari, & negotia ciuilia, si quis
bus aliquando dignus videbor expediri, & si non
aliud, summam certe adhibebo operam, quo Nob:
& Mag: vest: me omnibus obsequij & officij gene-
ribus obstrictum vobis sentiant.

Te autem DOMINE & Seruator noster,
IESV CHRISTE, λόγον καὶ εἰκόνα ἔαίδίς πατρὸς αἰδί-
ου, μεσίτην καὶ ἱκέτην ἡμῶν, toto pectore precamur, vt
augustissimum & inclytum Principem ac Domi-
num, Dominum AVGVSTVM Electorem Sax-
oniæ, Dominum nostrum Clementissimum, cum
Inclyta CONIVGE, ac SOBOLE & Nob:
& Mag: vest: ad Nestoreos annos vsq; conseruet,
protegat, ac tueatur, concedatq; Illustriss: Cels: suæ,
Vestrisq; Mag: prosperum iucundumq; & vitæ &
fortunæ statum, quò Ecclesia, & πολιτεία omnibus
curis exemptæ, in portu nauigare, tecq; Saluatorem
& Triumphatorem, cum æterno Patre & Spiritu
sancto, æternis laudibus celebrare possint. Nob:
& Mag: vest: valere, meq; meaq; studia ipsis com-
mendata esse, maximè cupio. Data V V iteber-
gæ ex Musæo meo.

Nob: & Mag: Vest:
promptus & obsequens.

Henricus Scheib.

Quid? quòd Iudaica miracula celebra genti
 Edit, & innumeris facta stupenda modis?
 Namq; aures surdis aperit, mutisq; loquelam,
 Et sanat morbos voce potente graues,
 Immundas tollit verbi medicamine lepras,
 Quas nulla ars hominum tollere docta potest.
 Huius & auxilium reuocato fratre sepulchro,
 Cum Maria sentit Martha sorore gemens,
 O quoties ventos sedauit, & aquora Ponti,
 Et pauit modico millia multa cibo,
 Illius & meritis regni obtrudebat honores,
 Quae comes huius erat sedula turba via.
 Ergo ubi Pontificum, multos, gens impia, ciues
 Experta est Christi mite subire iugum:
 Dentibus infremuit, catumq; cucurrit in unum,
 Quid faceret tanto consuluitq; viro.
 Stat rabidis audax animi sententia, iusti
 Figere funestae membra sacrata cruci.
 Scilicet hoc sacrae princeps, ductorq; cohortis,
 Iudicium Caiphas consiliumq; dedit,
 Expedit (ille refert) hominem unum dedere morti,
 Iudaici populi ne ruat omne genus.
 Ad dirum veluti gladijs succincta latronem,
 Mittitur in fontem magna caterua virum:
 Sic ruere in CHRISTVM magno fera turba tu-
 Audet, & intorto neetere fune manus. (multu
 Hic reuerenda eius palmis ferit ora prophanis,
 Ille secat teneras ungue rigente genas,
 Verbere pars dulces humeros quatit una frequenti,
 Altera at in vultus sordida sputa iacit,
 Pars retro infirmi contorquens brachia nexu,
 Ore dat aduersus dicta proterua DEV M.

Impia quis poterit conuicia cuncta referre,
Quæ petit infontem plebs scelerata Deum.
Post rabidi CHRISTVM pugnis probrisq; ministri,
Ad Caiphæ ducunt atria celsa mali,
Fertur eum Caiphæ fastu excepisse superbo,
Atq; supercilij signa dedisse trucis.
Præsulis à seruis hic verbera mille prophanis
Sustinet, indignis afficiturq; modis.
Mille licet tribuas linguas mihi, pectora mille,
Non tamen illorum facta scelestæ loquar.
Heu Præses scelerate feris immanior ur̄sis,
Sic ne tuo illudis debile plasma DEO?
Siccine vermibus inops simulata fronte salutas?
Et iacis in cæli, verba proterua, Ducem?
Tene fugit tua quam subeat suauissimus hospes,
Limina? & æternodignus honore coli.
Sancta DEI soboles, magni fabricator Olympi
Astat, & Angelici Rexq; Paterq; chori,
Quem dominum, altoremq; colunt animalia bruta,
En abi, & à brutis discet timere Deum.
Proh quam vana iacet sine luce superbia mundo,
Eheu quàm nimium est res aliena DEVS.
Improbis at Christum quouis à crimine purum,
Tradit in ausonice gentis apella manus.
Illius ut rigido scindantur terga flagello,
Mortiferaq; ferat vulnera seuæ crucis.
Quàm res vilis erat, nimiumq; ignobile factum,
Ora salutiferi sancta ferire DEI.
Ceum rapitur positus placidissimus agnus ad aras,
Sanguine ut innocuo lactea colla lauet:
Non querulas fundit voces, aut ora resoluit,
Nec latura necem vincula ferre negat:

Sic

Sic licet infando redimitus brachia nexu,
 Ductus es ad nostræ CHRISTE salutis opus:
 Non in vana tamen soluisti iurgia linguam,
 Nemo tuo rigidas audyt ore minas.
 Sed te sponte tuo voluisti offerre Parenti,
 Victima pro mundi crimine, proq; meo.
 O verè ablutos omniq; ex parte beatos,
 Quos Deus, effuso sanguine Christe, lauas.
 Huius Petre olim recreate, liquore, valebas,
 In media, hoc, saluus latro fuitq;, nece.
 Christe tuo vitam matrona cruore recepit,
 Ad tua quæ venit munere busta suo.
 Quis sanctum Dauida neget per vulnera Christi
 Alma, fide plenum tecta subisse poli?
 Sed plura enumerem quid frustra nomina cunctis?
 Vulnera per CHRISTI vita beata datur.
 Aspice nos oculis dulcissime CHRISTE, benignis,
 Nostraq; fac niteant corda cruore tuo.
 Olim cum Pharij sugisset vincla Tyranni,
 Ignito Abramides morsus ab angue perit,
 Vulnera, nulla hominum manus, vlla nec herba valebat
 Tollere Serpentis, nemo superstes erat:
 Dux igitur populi colubrum suspendit ahenum,
 (Scilicet hæc superi iussa Parentis erant)
 Quem procul aspiciens (nam ferme infecerat omnes
 Dira lues) diro vulnere sanus abit:
 Sic postquam intulerat mortalia vulnera cunctis
 Qui tenet inferni sceptrâ tremenda Draco,
 Factus homo DEV S est (non vulnera nostra leuari
 Hircorum poterant, siue cruore boum)
 Affixusq;, cru i sine crimine, crimina mundi
 Totius ardenti tostus amore luit.

Quem

Quem quicumq; fide aspexerit, vltus ab angue
Tartareo, caeli scandere teeta potest.
O nimium dulces clauos, o nobile lignum,
In quo hominum voluit vita salusq; mori.
Qua moriente atra textit ferrugine vultum
Cynthius, & luctus tristia signa dedit.
Disrupti montes Christum fleuere iacentem,
Visaq; sidereum saxa dolere Ducem.
Adde quod e' tumulis manes exisse piorum
Atq; urbem ingressos pagina sacra refert.
Omnia planxerunt pendentem in stipite Regem,
Quae mare, quae tellus, astraq; celsa tenent.
Tunc geris silices Iudae in pectore duro?
Vt cor non moueant facta stupenda tuum?
O furibunda cohors Iudaei, sanguine sacro
Quid tuuat hostiles vos maculare manus?
Vosne DEVM audetis crudeli perdere morte
Qui vitam vobis & bona cuncta dedit?
Quiq; dedit campos & lacte & melle fluentes,
Qui vestros Pharia duxit ab arce patres.
O scelus, o rabies, o gens ignara futuri,
Quis tibi, quis torpor, pectora caeca ligat?
Haecine pro tantis meritis ingrata rependis?
Siccine persoluis carmina grata DEO?
Heu te dura manent tormenta, & poena gehenna,
Praemia pro meritis, praemia digna, tuis.
Poena eadem sequitur sobolem, seriemq; nepotum,
Hinc tenet incertas omnis apella domos:
Vultur ut insequitur pullos, Buboq; volucres,
Vt lupus agnellos, torua leana lupum:
Sic homines merito cuncti execrantur in aeuum
Te Sathanae sobolem, vipereumq; genus.

I nunc

I nunc vana cohors, ausu inflammata nefando,
Lataq; de nostro fige trophæa DEO.
Verbera sacrilegasq; manus, linguasq; procaces,
Et CHRISTI (fas sit poscere) posce necem,
Qua tibi panduntur (nec enim te pœnitet huius
Criminis) infernæ limina, trita domus,
Sed nos Elysium nacti, sedesq; beatas
Hac sumus, hac nobis vita salusq; redit.
Vtq; Philistæum funda puer ille Gigantem,
Strauit, agens placidos, patris auiq;, greges.
Ac velut ex Vrsi quondam, rabidiq; Leonis,
Interimens illos fauce retraxit ouem:
Sic ubi virgineam CHRISTVS descendit in aluum,
Dignatus nostræ sumere carnis onus:
Ac ubi pro nostræ mactatur crimine culpæ,
Et factus summo victima sancta Patri:
Extinxit mortis vires, stygiumq; Draconem
Vicit, & æthereas sic reparauit opes,
Magnus ut & portas ferrato cardine Samson
Auulsas, culmen montis ad vsq; tulit:
Sic vitæ Dux ipse domos populatus auerni est
CHRISTVS, & ad cælos lata trophæa tulit.
Vnde iacens coluber calcem victoris adorat,
Morteq; cum victa Tartara victa tremunt.
Sed tibi quas grates, quæ carmina, quæq; feramus
Munera pro meritis InclYTE CHRISTE tuis.
Nam non thure dato positas placaris ad aras,
Hostia nec structo te mouet vlla foco.
Victima grata tibi contriti munera cordis,
Hæc tu CHRISTE probas non dubitante fide.
Hæc tibi nos ferimus grati, pie CHRISTE redemptor,
Hæc bonus à famulis suscipe vota tuis.

Te

nc




Te summis precibus, te supplice voce precamur,
Respice nos, populi damna leuāq. tui.
Pura repurgati conserua dogmata verbi,
Extingui lucem nec patiare tuam,
Protege Teutonice seri monumenta Prophetae
LUTHERI, & laudes assere CHRISTE tuas.
Et quae doctiloquus confecit scripta PHILIPPVS,
Perpetuos vigeant inuiolata dies.
In qua perspicua methodo formaq. decora,
Doctrinae corpus contulit omne sacrae.
O exurge precor, querulo succurre clienti,
O procul hostiles reprime CHRISTE manus.
Da tandem exurgat sanctis ex ossibus heros
Qui pro plebe tua praelia sancta ferat.
Mortis enim victor cum sis, stygiaq. paludis,
Deuota gentis strenuus vltor eris.

TELE.

Te


RAR A 2 12





B.I.G.

Farbkarte #13



ELEGIA
SCRIPTA, DE MENTO
PASSIONIS DOMINI
NOSTRI IESU
CHRISTI,

AB
HENRICO SCHEIB LI-
PSENSE.



Witeberga, Anno 1575.